Beiblatt zu den Botanischen Jahrbüchern.

Nr. 39.

Band XVI. Ausgegeben am 27. Juni 1893. Heft 4/5.

Synopsis prodromalis specierum Ruborum Moriferorum europaearum et boreali-americanarum.

Von

Ernst H. L. Krause.

Innumerabiles jam speciculae varietates variationes formae Ruborum Moriferorum descriptae sunt, neque tamen ipsos batologos qui dicuntur fallit numerum bonarum specierum parvum esse. Liceat rationem formarum speciebus comprehendendarum proponam.

De specierum describendarum ratione hoc loco non disserendum est, memineris equidem characterem non constituere speciem sed speciem characterem. Neque quid sit species paucis explicetur, methodum vero sequar qua cl. Kochius in Synopsi sua in plurimis generibus (nec tamen in *Rubo*) usus est. In nomenclatura denique caveamus ne investigantes priorum scriptorum vocabula ipsam botanicen perdamus.

Genus: *Rubus*; Subgenus: *Eubatus*; Sectio: *Moriferi*.

A. Moriferi turionibus suberectis non radicantibus, inflorescentiis plerumque racemosis, staminibus non conniventibus.

1. *Rubus aestivalis* pedunculis pedicellisque eglandulosis. Species europaea. Est *R. fruticosus Kuntzei* nec tamen *Smithii Weihei* aliorum.

2. *R. villosus* (Ait.) pedunculis pedicellisque glandulosis, foliis utrinque viridibus. Species americana.

3. *R. cuneifolius* (Pursh) foliis subtus albo-tomentosis. Species americana.

B. Moriferi turionibus radicantibus, pedicellis sublongis, sepalis patentibus vel erectis, staminibus non conniventibus.

4. *R. flagellaris* (Willd.) inflorescentiis uni- vel paucifloris. Species americana.

5. *R. caesius* (L.) inflorescentiis compositis vel paucifloris, pedunculis pedicellisque saepe fasciculatis, fructibus pruinosis. Species europaea.

6. *R. atlanticus* inflorescentiis amplis panniculatis, staminibus brevibus. Species europaea cujus subspecies praestantissimae sunt *R. Sprengelii* et *R. Arrhenii.*

C. Moriferi turionibus radicantibus, staminibus post anthesin conniventibus.

a. Species debilis americana.

7. *R. hispidus* (L.) foliis ternatis, inflorescentiis plerumque racemosis, pedicellis filiformibus.

b. Species robustiores europaeae.

α. Turiones homoeacanthi aculeis validis ad angulos dispositis, glandulis stipitatis deficientibus vel sparsis.

8a. *R. tomentosus* (Borkh.) turionibus saepius stellulato-tomentosis; foliis subtus vel utrinque albotomentosis, petalis albidis pilosis, carpellis glabris, fructuum drupeolis inter se et a gynophoro haud difficiliter separandis subsiccis vel succulentis, putaminibus ellipsoideis.

8b. *R. sanctus* (Schreb.?[1]) petalis roseis stellulato-tomentosis, carpellis pilosis, fructuum putaminibus semiorbicularibus.

Obs. De *Rubis tomentoso* et *sancto* dubito utrum duae species sint an unius speciei varietates. Videntur enim formae parallelae esse sicut *R. Arrhenii* et *Sprengelii*, *R. candicans* et *Grabowskii*, *R. leucostachys* et *chloroscarythros*, *R. Hansenii* et *badius.*

9. *R. discolor* turionibus pruinosis stellulato-tomentosis, glandulis stipitatis deficientibus, foliis supra glabris subtus adpresse albotomentosis, inflorescentiis elongatis angustis subracemosis vel panniculatis pedunculis dichasticis, staminibus stylis fere aequilongis, fructuum drupeolis parvis numerosis succulentis inter se et cum gynophoro coalitis. Ad hanc speciem pertinent *Rubi discolores* cl. Nymani Lowei Babingtonii, quae inter se non omnibus characteribus congruentes *Rubum ulmifolium Fockei* componunt. Cujus varietas borealis *R. thyrsoideus* (Wimm.) videtur esse turionibus epruinosis plerumque glaberrimis, staminibus inaequalibus, in Tirolia in varietatem *ulmifoliam* transiens.

Obs. In Germania boreali *R. thyrsoideus* substerilis esse solet et saepe a forma *thyrsanthoide Rubi bremonis hypotephrophylli* aegre distinguitur. Sunt tamen hae formae intermediae *rhamnifoliae* vel *rhombifoliae* sicut in Britannia *Rubus ulmifolius* × *bremon* esse solet. Licet hybridae formae genuinis copiosiores inveniantur sicut et *Galium Schiedeanum* (v. Fischer-Benzon) in Holsatia et Megapoli *Galio vero* frequentius provenit.

---

1) Prope Caneam Cretae legi.

10. *R. bremon*[1]) turionibus glabris vel pilosis vel villoso-tomentosis glandulosis, glandulis sessilibus vel stipitatis, foliis supra pilosis vel glabrescentibus, subtus molliter pilosis et nonnunquam tomentosis, inflorescentiis amplis panniculatis apicem versus decrescentibus, ramis saepius dichasticis, staminibus stylos superantibus, fructibus magnis succulentis cum gynophoro coalitis sapidis. Ad hunc pertinent species *Fockeanae R. fortis gratus macrophyllus vestitus badius* cum affinibus; an quoque *silvaticus* et *pyramidalis*? Varietates duae in Germania boreali eodem gradu quo e. g. *Lamium maculatum* et *L. album* Linnaei inter se differunt sc. *hypotephrophylla R. vestitum* et *villicaulem* et *hypochlorophylla R. gratum* et *macrophyllum* comprehendens, inter quas intermediae formae *R. badius* et *Hansenii* sunt.

β. Turiones homoeacanthi aculeis ad angulis dispositis, glandulis breviter stipitatis creberrimis exasperati glabri vel parce pilosi.

11. *R. radula* (Wh.) aculeis validis rectiusculis, foliis subtus dense adpresse tomentosis cinerascentibus, inflorescentiis elongatis, pedunculis dichasticis, pedunculis pedicellisque glandulis stipitatis et tomento longis vestitis, pedicellis longitudinem sepalorum aequantibus vel duplo superantibus, fructibus longitudinem sepalorum aequantibus vel duplo superantibus.

12. *R. rudis* (Wh.) foliis subtus laxe adpresse tomentosis plerumque viridibus, inflorescentiis amplis panniculatis, pedunculis pedicellisque dense stipitato glandulosis et breviter tomentosis, sepalis pedicellis duplo vel triplo brevioribus angustis, petalis spathulatis vel anguste obovatis, fructibus parvis diametro dimidiam sepalorum longitudinem vix superante.

13. *R. foliosus* (Wh.) foliis subtus viridibus vel cinereis, inflorescentiis elongatis flexuosis angustis perfoliatis, ramis paucifloris saepe fasciculatis, pedicellis longis, petalis angustis. Hic si hybridus tamen esset, inter avos *Rubum idaeum* haberet.

γ. Turiones polymorphacanthi vel subhomoeacanthi glandulis longe stipitatis crebris instructi. Folia utrinque viridia.

14. *R. concolor* turionibus plerumque dense pilosis, foliis acuminatis, inflorescentiis panniculatis perfoliatis ramis paucifloris saepe fasciculatis. Species variabilis et accuratius examinanda praeter *Rubum hirtum* W. K. cum affinibus etiam *R. pallidum* cum sua affinitate includens.

15. *R. Bellardii* (Wh.) turionibus polymorphacanthis pruinosis glabriusculis, foliis cuspidatis, inflorescentiis subracemosis ramis

1) Hoc est nomen palaeogermanicum ruborum moriferorum.

inferioribus paucifloris. Hic in Germania boreali substerilis esse solet et saepe hybridis quibusdam *Rubi caesii* similis est, quam ob rem in meridionalibus vel montanis regionibus accuratius examinandus sit.

Species sub lit. A enumeratae subsectionem *Aestivalium* formant, *R. flagellaris* et *caesius* proprias constituunt subsectiones. *R. atlanticus* vero cum speciebus sub lit. C. enumeratis *Hiemalium* subsectione comprehenditur in qua maxime inter se affines videntur esse et *R. atlanticus rudis concolor* et *R. bremon radula discolor.*

Fortasse omissae aliquae species in Europa occidentali vel meridionali eruentur, tamen ne botanici obliviscantur fore spero divisionem formarum jam finiendam compositionem specierum suscipiendam esse.
